

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 1.

Oratio Politica.
De Magnitudine, & potentia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 20. Jan. 1809. (Neov. 3. Jan. 1809)

S e n t e n t i a.

Merito — Corona.

Euripid.

Annus rursus præteriit, & nos in stadio consistimus, adhuc nobis præteriorum orbitam percurrere integrum est, dhuc virtus ad imitandum, scelus ad abominandum ex præteritis ad nostrum documentum seligere nobis datur, adhuc ex Elysio exempla depromere fas est, merito — Corona! —

Hodie de corona sermoniari lubet — historiam ejus disquirere; novæ Calendæ anni illuxere, & a principio orbis, usque præsentem novum annum Sententia probata est — merito diadema! —

Utrumque homines in civiles societates coaluere, eorum status in affectus mutatus est, quos lites, dissensiones, malevolentia, ira, bella consequebantur. Vir robustissimus, qui pluribus resistendo fuerat, qui in periculis audax, furore plenus, & intrepidus frontem opponere ausus, ut heros proclamatus



est, hac ratione factum : ut ferus Mars ad dignitatem Dei belli eveheretur, quod potentia præditus furorem spirans in hostem ruerit, omnia sibi occurrentia ictu postraverit.

Verum homines ab erroribus semper ad bonum utileque revertuntur; perspexere errorem: feram strenuitatem a se divino honore cultam esse, experientia docti: id genus magnanimitatis sequelam temperamenti, & corporeæ complexionis potius, quam mentis culturam fore. Aliam igitur Deitatem commentum sunt, quæ ferocem Deum continere & ei opponi posset, hæc Dea est Minerva, ideale perfectissimæ sapientiæ, cultissimæ mentis, strenuitatis summæ, prudentia, perspicacia & beneficentia junctæ. Quapropter strepero, & furenti Marti opponebatur, sæpenumero cum eo dimicavit. Contigit vice quadam: ut hasta Aegidem ejus tangeret, quam ipsa Tonantis fulmina penetrare non poterant, tum ea mascula fortitudine immanem arripuit metalem lapidem, eumque Mavortis collo iniecit, ut humo allisus septem jugera terræ contereret. Cur lapidem metalem — quæso — fabula memorat? probabiliter ideo: ne territorium alienum adonatur. Veteres igitur, non fero occupatori, verum merito voverunt — Coronam.

Jus fortioris sapientia, animique destitutum magnitudine genuinum meritum non est. retrusis temporibus ad nostra usque probi, prudentesque fero Mavorti Deam sapientiæ, si non explicite, in eodem nihilominus, quo ve-

teres significatu commiserere. Non omnes occupatores terrarum Magnorum, verique nominis heroum numero accensentur: Multi hoc nomen Alexandro Macedoni detrahere volunt, Borealis heros Carolus XII, minutus heros audiebat, quod provincias suas imminueret; verus heros, vere magnus vir multum distat ab occupatore. Coniungit cum fortitudine virum, doctibusque beneficentissimas morales virtutes; adaptat rationibus suis id solum, quod nobile quod pulcrum, quod beneficium, saluti solum communi intentus, gloriæ, felicitati sibi subiectorum. Gloria Cæsaris Ideam herois menti nostræ obicit, nomina Trajani, Marci Aurelii Magnorum virorum notionem excitant; fitus ambas dotes coniunxit: herois, & Magni viri.

Interim cur Titus ob beneficentiam magis, quam triumphos celebratur? ratio est: quod perfectio animi, fortunæ dona longe superent, quodque gloria armis parta a fortuito, ut ita dicam casu pendeat, contra, quæ virtute nixa, ceu sibi debita merces reputetur — Merito — Corona, —

Nomen herois a successu rerum victorioso pendet, non semper nomen Magni; hujus enim axioma est virtus in secundis juxta & adversis constans. Nomen herois militiæ solum deditis competit, at omne in orbe vitæ genus ad sublime hoc nomen adspirare potest; prærogativam utique præ aliis heros sibi vendicat; magnanimitas & mansuetudo, amor patriæ, excellenti connexus ingenio virtutem

magni viri efficit; scientia rei bellicæ, fortunaque notæ sunt characteristicæ herois; at heros tum primum Magnus evadit, dum sapientiæ, & sinceram bene agendi prodit voluntatem: salutem communem, moraliumque virtutum stabilitatem promovendi; eorum recte dici & prædicari potest: Merito — diadema.

Propemodum eo angustiarum redacti sumus: id solum magnum censi, quod armorum vi inductum est. Belli ærumnæ Ideas nostras de Magno, fortioris conceptui tantum nosmet alligarunt; hæc opinio vulgaris, verum culto, quod agimus, Seculo, veteres ne sumus? An Dea sapientiæ a Marte hodierno secreta, aut an ejus lateri adstat?

Cerno novum spectrum in Olympo, quod nobis præsens mihi videtur. Mars & Pallas super Globo nostro terraqueo Diadema tenent, Genius communis opinionis populo accoinit: *Fortiori*, potentiori, viribus præstantiori, occupatori — Genius ab excelso descendit, an hic angelus Cælo missus? Nequaquam! nunquam fortassis Mavors Minervaque junctiores erant, ac hodie sunt. Uterque diadema tenent, concordæ animo, fortitudinem virium sapientiam redimiendi consilio, & sententiâ observatur: Merito — Corona!

Et cui Corona hæc destinata? Age! sapientes ex annalibus disquiramus, qui verticibus, cui ea imponenda, adumbrant imaginem.

Fulcerrimum, quod Deus homini dare potuit, munus erat: dominator populum diligens

& ab eo dilectus; is tyrannidem destruit, nunquam adversus eum querelæ oboriuntur, & periculum abest hoste proximo. Ejus subditi aggerem efficiunt circum ejus personam, exercitusque violenti ductoris eum fugit ceu folium leve vento abreptum.

Cœli cliens, sacro plenus igne vociferatur vates, „Dominator! cui hominum genus, tui commilitones supremam potestatem credidere, cui summam eos ducendi curam humeris injecere, considera minus fulgorem prærogativæ, quam pignoris gravitatem. Purpura vestis tua est, solio insides, diademate frons redimitur tua, sceptrum potestatis manu tenes, in hoc adparatu tum solum rutilas, si is tuas cogitandi rationes pro communi salute tegit.

Dominator, ait eximius Telemachi auctor, omnia valet in populo, verum leges solæ ei prævalent. Tenet is irrestrictam potestatem operandi bonum; verum ut primum malum patrare intendit, manus ligatas habet. Leges populum ei credunt, ceu pretiosum pignus, ea sub conditione: ut patris suorum subditorum munus obeat, jubent eæ: ut homo singularis sua sapientia, & in secundis moderatione saluti tot hominum vacet, neque ut homines sua calamitate & servitute, ambitioni, & mollitiei unius singularis hominis blandiantur.

Dominatori nulla prærogativa inter ceteros homines esse debet, ea sola, quæ necessaria ad molestas, quas habet, obligationes leviores reddendas, aut quæ venerationem po-

pulo instillet ad virum custodiendis tuendis-
que legibus natum colendum. Eum erga ex-
teros patriæ defensorem, intus Judicem populi
esse oportet, ad eum probum, sapientem,
felicem reddendam.

Civitatem secundum leges gubernare,
prout Deus mundum secundum naturæ leges
moderatur; raro omnibus dominans, onnipoten-
tiam suam ad cursum orbis interrumpen-
dum adhibet, ita & novationes, mutationesque
ceu miracula in bono politico orbe nobis ad-
parere debent.

Id genus rationes sapientissimi tot Secu-
lorum viri secundum experientiam dimensi
sunt, easque, ut optimas, utilissimas, menti
clarissimas proposuere. Merito — Coronam.

Hodie plures liberales, & humanæ ratio-
nes a plerisque Dominatoribus intuitu popu-
li adoptatæ sunt; patet via ad quasvis digni-
tates cuivis. Nulla Classis privilegiata, cujus-
cunque demum nominis a civilibus obligatio-
nibus exempta est. Libertas, & æqualitas Ci-
vilis secundum leges feliciter & communi, abs-
que exceptione, ratione firmata est, homo vi-
lissimus etiam ad verba, orationi huic præfi-
xa prætensionem facere potest — merito —
Corona! sinite Coronam in hanc oculos at-
tollamus, divinamque providentiam celebremus — Merito — Coronam. —